



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ioannis De Lvgo Hispalensis, Societatis Iesv, S. R. E. Tit.
S. Balbinæ Presbyteri Cardinalis, Disputationes
Scholasticæ, Et Morales De Virtute Fidei Divinæ**

Lugo, Juan de

Lugduni, 1656

Disputatio XI. De iudicio credibilitatis, quod præcedit piam voluntatem
credendi.


[urn:nbn:de:hbz:466:1-81031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81031)

cursum ad affectum naturalem, Deus eleuat ex lege communi ad affectum supernaturalem. Quāvis ergo Deo displiceat voluntas illa mala imperans affectum credulitatis, ea tamen posita dat ex lege sua eius intuitu concursum ad affectum credulitatis supernaturalem eliciendum. Sicut displicet etiam Deo voluntas mala Sacerdotis volentis consecrare ad finem sacrilegum; & tamen ea voluntate, & intentione posita, Deus eius intuitu concurret ad conuersionem supernaturalem; quia ad hanc non præexigit dispositionem, aut meritum congruum ex parte ministri, sed solam eius intentionem, etiam si sacrilega sit.

Alia argumenta, quæ fieri possunt contra hanc nostram sententiam, proposuimus, & dissoluimus latè in loco citato de Pœnitentia. Nunc addo eandem laudatæ P. Suarez in 1. 2. tract. 3. disp. 8. de actibus humanis, sect. 1. num. 15. & sequentibus, ubi dicit, valde probabile esse, quod actus fidei supernaturalis possit esse extrinsecus malus ex imperio malo. Plus etiam concedit Granado in præfati tract. 10. post disp. 4. commentum in art. 9. num. 4. ubi concedit, posse actum fidei in fusa denominatione extrinsecus malum ab imperio immediato malo, dum tamen non ab illo solo imperetur, sed etiam ab alio imperio bono.

Denique aduerto, me olim in hac materia, & postea in loco citato *tomo de Pœnitentia*, inter alia argumenta adduxisse ad probandum, quod actus supernaturalis possit imperari extrinsecus ab actu malo, exemplum illius, qui ex fine vanæ gloriæ vult confiteri, & imperat sibi detestationem peccatorum, cui argumento ut responderet P. Hurtado in præfati dicta disp. 46. §. 9. plusquam deberet, meo iudicio, concessit. Progreditur enim, ut concedat, quoties aliquis suo etiam legitimo Confessario peccata sua confitetur, in iis tamen circumstantiis, in quibus confessio ipsa culpam venialem contineat, quia v.g. Prælati sub veniali præceperat, ne tunc confiteretur, vel quia propter capitis defatigationem debebat tunc non confiteri, vel ob quamlibet temporis, loci, vel alterius generis circumstantiam, confessionem esse inuvalidam, & Sacramentum irritum, imò, nisi ignorantia excuset, sacrilegium grauissimum, quia non potuit voluntas illa conficendi esse bona, & supernaturalis, qualis ad Sacramentum requiritur; in hoc tamen excessu, ni fallor, vir alioquin doctus, & acris ingenij, & sine causa reuocat in dubium, vel damnat frequentissime valorem confessionum, in quibus Pœnitentes non solent adeo scrupulosè circumspicere, & examinare circumstantias omnes, an immunes sint ab omni prorsus culpa. Imò sæpe sine necessitate Confessarium adeunt viri etiam religiosi, non ea hora, quæ à Prælati designata erat, sed alia contra Prælati directionem quod vix potest communiter à culpa veniali excusari, maxime propter leue aliquod scandalum non obseruatæ ordinationis Prælatorum. Aliquando etiam confitentur die aliqua ad vitandum ruborem, & verecundiam, & ne parum spirituales æstimentur, alioquin die illa non confessuri; aliquando ex alio fine humano, & non honesto, in quibus casibus, si aliunde confessio integra sit, & doleant de peccatis, nemo certe coget eos ad repetendas eiusmodi confessiones, ut inuvalidas, & non parum argueretur falsa ea doctrina, ad quam defendendam necesse esset pœnitentes ad has angustias reducere contra communem omnium sensum, &

praxim, & ut verum fatear, non erat necesse tanto dispendio argumentum illud soluere hæc omnia concedendo: Nam licet dolor de peccatis debeat esse actus supernaturalis ad effectum obtinendum in Sacramento Pœnitentiæ; voluntas tamen ipsa confitendi, & manifestandi peccata, non video unde necesse sit, quod sit semper supernaturalis; sicut etiam in baptismo adulti requiritur ad remissionem peccatorum dolor de peccatis, qui sit actus supernaturalis: non tamen videtur necessarium, quod voluntas ipsa, & intentio recipiendi baptismum sit supernaturalis, nec credo negari posse, quod iustificetur in baptismo, qui cum debito dolore de peccatis, illum recipit, licet intentio illum recipiendi sit naturalis. Quare alij minori dispendio respondent ad illud argumentum nostrum dicendo, confessiones illas esse validas communiter loquendo, etiam si pœnitens ex fine venialiter malo ad confessionem accedat; quia quamuis voluntas confitendi sit mala venialiter, actus tamen doloris, & propositi non est malus, sed bonus, & supernaturalis, nec vitatur ab illa alia voluntate mala, quia ab illa non procedit, sed à voluntate non faciendi, aut suscipiendi Sacramentum inuvalidum, & vitandi sacrilegij. Quam responsionem licet non existimem sufficientem, & ideo in prædictis locis eam impugnari; minus tamen difficile ita responderi posset, quam condemnando, ut inuvalidas (& seclusa ignorantia) ut sacrilegas tot confessiones, quas adeo frequenter viri etiam timorata conscientia facere solent. Post hæc autem scripta vidi quæstionem hanc latè disputatam apud Ripaldam *dicto tom. 1. de ente supernaturali*, qui nostræ sententiæ subscribit, & multa eruditè, & ingeniosè ad eam defendendam addit *disp. 50. per totam*, quæ apud ipsum videri possunt.



DISPUTATIO XI.

De iudicio credibilitatis, quod præcedit piam voluntatem credendi.

SECTIO I. An iudicium euidentis de credibilitate, debeat esse supernaturale.

II. A quo habitu infuso eliciatur iudicium credibilitatis.

III. Vtrum simplex apprehensio de credibilitate sine alio iudicio sufficiat ad piam voluntatem credendi.



NECESSITATE, & euidentia huius iudicii præcedentis diximus *supra disp. 5. sect. 1.* nunc reliqua, quæ ad ipsum pertinent, examinanda sunt; nempe ut eius supernaturalitate de eius obiecto, & habitu, à quo procedit, & an suppleri possit aliquando per simplicem apprehensionem.

S E C T I O I.

*An iudicium euidentis de credibilitate
debeat esse supernaturale?*

I
Ratio dubi-
tandi.

Ratio dubitandi difficilis est pro vtraque parte, nam si dicas esse supernaturale, ergo elicitur à fide; nam omnis cognitio supernaturalis, vel est fidei, vel supponit cognitiones fidei, ex quibus deducatur; ergo a^{te} actum fidei omnes aliæ sunt cognitiones naturales. Si verò dicas, esse naturalem, ergo non potest deferuire immediatè ad voluntatem supernaturalem. Sicut cognitio materialis non deferuit immediatè ad a^{no}rem spirituales.

Paria senten-
tiæ.

Propter hæc insinuantur varij dicendi modi circa hanc difficultatem, quorum aliqui nullam habent probabilitatis speciem, ideo sufficit eos breuiter recensere. Aliqui dicunt, illud iudicium non solum esse naturale, sed incertum, & fidei humane, vel opinionis. Contrarium tamen probauimus *disp. 5.* vbi vidimus, ad omnes fidei assensus prærequiri euidentiam prædantis credibilitatis. Alij dicunt, iudicium illud esse supernaturale, & elicitum à fide; quia per vnicum actum iudicij asserimus (inquit) Trinitatem esse credibilem, & esse veram; propterea actus dicit, esse credibilem, præcedit voluntatem credendi, propterea verò dicit, esse veram, subsequitur voluntatem, & dependet ab ea. Hic modus dicendi multum inuoluit impossibilia, scilicet eundem simplicem actum esse priorem realiter prioritate naturæ seipso secundum diuersas formalitates; quod tam repugnat, quam idem esse causam sui ipsius secundum diuersas formalitates. Deinde si quidem post cognitionem credibilitatis, manet homo liber ad volendum credere Trinitatem, ergo post illam primam formalitatem iudicij, potest non sequi voluntas, & per consequens nec alia formalitas eiusdem iudicij, quod etiam aperte repugnat: vel dicendum est, subsequi aliam formalitatem inuita voluntate, quod etiam est absurdum.

2

Propter hæc alij planè admittunt, illud iudicium esse euidentis, sed naturale secundum substantiam, licet punquam habeatur, nisi ex supernaturali providentia, & gratia Dei: quod iudicium licet prærequiratur ad introductionem fidei, dicunt tamen non esse fundamentum fidei, quia fides introducta firmius, & certius iudicat res fidei esse credendas.

Huic sententiæ fauent Gabriel, Almainus, Aragon, & alij, quos affert Ripalda 1. tom. de ente *supernaturali disp. 49. sect. 5. num. 27.* Fauet etiam P. Suarez, qui in *presenti, disp. 6. sect. 8. num. 12.* fatetur iudicium hoc esse naturale in substantia, & elici posse naturali discursu, & lumine intellectus cum generali concursu Dei, & supposita sufficienti experientia signorum, seu motiuorum fundamentum talem credibilitatem. Addit tamen *num. 13. & 14.* illud iudicium non sufficere ad piam voluntatem supernaturalem credendi nisi adsint, propterea adsunt, illuminationes supernaturales in intellectu, quæ adiungunt iudicium illud, quas illuminationes supernaturales, ipse videtur ponere ita, vt sint solum simplices apprehensiones supernaturales, quæ faciant concipere res fi-

dei, propterea oportet ad salutem. Citari etiam potest pro eadè sententia P. Coninch. in *presenti disp. 13. dub. 3.* vbi docet, iudicium illud esse naturale in substantia, & supernaturale quoad modum: tum quia supponit reuelationem, & propositionem obiecti supernaturalis: tum quia dirigitur ad finem supernaturalem, & propter debilitatem, & obscuritatem nostri intellectus indigemus illustratione gratuita, vt debito modo res fidei proponantur. P. Granado satis obscurè loquitur in hoc puncto: nam *tract. 2. disp. 2.* dicit, euidentiam credibilitatis non esse actum supernaturalem, sed ordinis naturalis: postea verò *tract. 9. disp. 4. num. 4.* dicit, iudicium euidentis prærequiritur ad voluntatem credendi debere esse supernaturale in substantia. Sed tamen in priori loco loquitur solum de iudicio speculatiuo, quod est conclusio de credibilitate deducta ex principiis, & motiuis, quæ eam probant; in posteriori autem loco agit de iudicio vltimo pratico, distant hinc & nunc esse bonum credere mysteria fidei. Ex quibus tandem constat meritò ab Hurtado *disp. 63. §. 6.* reprehendi Lorcam, qui *disp. 3. 1. num. 6.* dicit esse temerarium explicare necessitatem gratiæ, quam Concilia exigunt ad huiusmodi actus, negando eos esse supernaturales in substantia, & ponendo eos solum supernaturales quoad modum, seu necessitatem gratiæ ad eos eliciendos: quod quidem multi, & graues auctores dixerunt.

Contraria tamen sententia verior est, & communis iam inter nostros Recentiores, iudicium illud esse supernaturale secundum substantiam, sicut & ipsam voluntatem credendi. Quam tenent Hurtado loco citato, Ripalda *disp. 49.* Granado citatus in posteriori loco, & alij Recentiores communiter. Probat primò ex Concilio Araus. 2. can. 7. Celestino *epist. 1. ad Episcopos Gallie cap. 9.* vbi dicitur, cogitationem, seu primum consilium, quod ad vitam æternam pertinet, ex Dei gratia esse. Concilio Mileuitano *can. 4.* Vbi dicitur, *Donum Dei esse scire, quid facere debeamus, ergo cum scire credibilitatem fidei, sit scire, quid debeamus agere, fieri debemus hanc scientiam esse donum gratuitum Dei.* Magis expressè Augustinus *lib. 2. contra duas Epistolas Pelag. cap. 8.* ponderat illud Pauli 2. ad Corinth. 3. *non quod sufficienter finem cogitare aliquid à nobis, &c.* Sic ait, *qui non vident prius esse cogitare, quam credere; nihil enim credit, nisi prius cogitet esse credendum, & hoc vult Apostolus, non esse ex nobis, sed ex gratia.* Idem de bono perseverantia cap. 8. ait. *Deum dare curis humano cogitationes pias per quas habeat fidem, & cap. 13.* tractans prædicta verba Pauli. *Cogitantes, inquit, credimus, & agimus quicquid credimus. Quod autem attrinet ad pietatis viam, & verum Doctrinam, non sumus sufficienter cogitare, &c.* Idem de prædestinatione Sanctorum cap. 2. *Idcirco lib. 9. de summo bono cap. 10.* sic ait: *Doctrina sine adiuvante gratia, quamuis infundatur in aures, ad cor non descendit. Tunc autem Dei sermo aures infusus ad cordis intima peruenit, quando Dei gratia mentem interius, vt intelligat, tangit. Ecce Patres non solum ad volendum credere, sed ad intelligendum, cognoscendum, & cogitandum gratiam desiderant. Ideo hanc gratiam non solum inspirationem, sed illuminationem etiam appellant, vt habetur in Araus. can. 5. vbi dicitur, ad consentiendum prædicationi saluari esse necessariam illuminationem, & inspirationem Spiritus sancti*

sancti. Ergo sicut ex eo quod exigant gratiam ad volendum credere, deduximus *sup. disp. 10. sect. 3.* supernaturalitatem voluntatis, sic debemus colligere supernaturalitatem cogitationis ex auxilio gratiæ, quod exigunt ad cogitandum, & intelligendum.

Nec satis facit, si dicas, istam cogitationem licet sit naturalis, esse tamen ex supernaturali providentia, & peculiari Dei beneficio. Non enim aliter loquuntur Patres, & Concilia de auxilio gratiæ necessario ad assensum fidei, & ad affectum credendi, quam de illuminatione necessaria ex parte intellectus ad voluntatem credendi. Ratio deinde id suadet: quia si ad affectum supernaturalem credendi sufficit cognitio naturalis in substantia, non apparet, cur actus fidei debuerint esse supernaturales, cum ex illis, licet naturales fuissent potuissent procedere actus dilectionis, & aliarum virtutum supernaturalis.

Dices, licet ipsa cogitatio secundum se non sit ex supernaturali providentia, & speciali gratia: ceterum ut congruam ad illam voluntatem posse esse ex tali providentia, quia sub ista consideratione connotat voluntatem supernaturalem, quæ ex tali cogitatione sequetur, & conducentiam ad finem supernaturalem. Sed contra; quia in hoc sensu speciale adiutorium gratiæ non tam requireretur ad cogitandum, quam ad volendum credere, à qua voluntate denominatur cogitatio congrua. Hoc autem non videtur consonum Scripturæ, & Patribus à quibus ipsa cogitatio dicitur indigere auxilio Dei, non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis: non dixit: non fumus sufficientes cogitatione congrua, sed cogitare, & ideo addit: *sufficientia nostra ex Deo est*, non dixit solâ efficaciam, seu congruitatem, sed ipsammet sufficientiam ex Deo esse, ideo etiam Milcentianum dixit, *dominus Dei esse scire quid facere debeamus*: nec addidit *quando id facturi sumus*, quia ipsum scire antecedenter ad operationem requirit auxilium gratiæ, & ipsa cogitatio in ratione propria cogitationis appellatur *illuminatio Dei*, ut ostendatur gratiam non solum consistere in coniunctione cogitationis cum consensu, sed etiam in cognitione obiecti, quæ non debeatur naturæ, nisi Deus ex sua liberalitate vellet mentis nostre oculos illuminare. Deinde in hoc sensu ipsa creatio animæ dici posset non fieri sine speciali gratia Dei; nam etiam illa creatio prævidetur coniungenda cum bonis operibus supernaturalibus eliciendis ab anima. Denique, si hoc solum intenderent Patres, sane nihil decreuissent contra semipelagianos, neque enim semipelagiani, nec aliquis unquam dubitare potuit, quin antecederet ad voluntatem credendi necessaria esset aliqua cogitatio, quæ esset congrua, si consensus voluntatis sequeretur; ergo Patres ultra hanc necessitatem cogitationis congruæ, quam ipsi negare non poterant; probare voluerunt ulterius aliam necessitatem auxilij Dei peculiari, sine quo illa cogitatio haberi non poterat, eo quod esset cogitatio superioris ordinis & indebita toti naturæ. Denique Concilia, & Patres non solum exigunt congruitatem, quæ supra cognitionem solum addit consensum voluntatis, sed etiam exigunt illuminationem, quæ tota se tenet ex parte intellectus, & quæ etiam deficiente consensu datur in eo, qui resistit, & foras se maiorem, quam in eo, qui consensit, & hanc illuminationem dicunt esse gratiam Spiritus sancti.

Secundò ergo à priori probatur conclusio, quia si ad voluntatem credendi supernaturalem sufficeret cogitatio naturalis, ergo & ad alios omnes actus voluntatis supernaturalis sufficeret cognitiones naturales obiectorum: cur enim magis potest amari supernaturaliter bonitas credendi naturaliter cognita, & non etiam bonitas Dei naturaliter cognita poterit supernaturaliter amari; sanè nullum sufficiens discrimen poterit reddere: ergo dicendum est, ad omnem volitionem supernaturalem prærequiri cognitionem proportionatam, & eiusdem ordinis: sicut etiam ad amorem voluntatis non sufficit cognitio materialis Phantasiæ, sed cognitio intellectualis, & eiusdem ordinis. Habet enim se, ut *supra* diximus appetitus elicitus ad cognitionem, sicut appetitus innatus ad naturam; quare sicut ponitur diversus appetitus innatus pro diversitate naturæ, sic etiam pro diversitate principij cognoscitivi diversificantur appetitus eliciti. Est enim potentia appetitiva passio essentialiter orta à potentia cognoscitiva; & ideo omnis potentia appetitiva supponit cognoscitivam sibi correspondentem, & proportionatam cui conaturaliter talis appetitiva debeatur, ergo sicut potentia volitiva spiritalis supponit cognoscitivam spiritualem; sic volitiva supernaturalis supponit cognoscitivam supernaturalem, ut diximus, & explicuimus *disp. præcedenti sect. ultima*.

Vnde obiter impugnari potest id, quod dicebat P. Suarez, interuenire debere apprehensiones supernaturales, quibus mediis illuminat nos Spiritus sanctus ad volendum credere: ipsum tamen iudicium credibilitatis esse naturale, & ex solis viribus naturæ. Hoc, inquam, impugnari potest primò, quia vel apprehensiones illæ illa absque ullo iudicio sufficiunt ad volendum credere, ut aliqui dicunt, quos postea referemus; vel non sufficiunt sine iudicio. Quod secundum ipse Suarez supponit; nam n. 14. post medium sic ait: *ut voluntas moueatur, præsertim honestè ac prudenter, duo sunt necessaria, scilicet sufficiens apprehensio obiecti, & iudicium quod expediat illud credere: quia ergo voluntas credendi honesta est etiam supernaturalis, requirit ex una parte iudicium prudens de credibilitate obiecti: quia verò illud iudicium datur de obiecto supernaturali per medium naturale, ideo necessaria est illuminatio diuina, quæ eleuet intellectum ad concipiendum illud obiectum altiori, & supernaturaliori modo, &c.* Quo supposito, argui potest contra ipsum, quia in primis, si ad voluntatem illam utrumque prærequiritur, non apparet, cur magis apprehensio, quam iudicium debeat esse supernaturalis, & cur non è contra apprehensio possit esse naturalis, dum iudicium sit supernaturale: imò magis videtur requiri supernaturalitas in iudicio, quam in apprehensione; nam apprehensio non videtur concurrere immediatè, aut mouere proximè voluntatem, sed remotè, & mediatè, quatenus proponit obiectum, quod postea iudicetur; alioquin si apprehensiones possunt immediatè mouere voluntatem non requireretur iudicium, quod tamen necessariò requiri dicitur P. Suarez. Non ergo conducunt apprehensiones, nisi mediatè generando iudicium, quod immediatè voluntatem moueat. Non enim est sermo de aliis apprehensionibus requisitis ad assensum fidei intellectuales; nam illæ proponunt aliud obiectum diuersum, nempe illud, in quod fertur assensus fidei;

Probatur ratione à priori.

Impugnatur P. Suarez.

quæ apprehensiones non possunt concurrere saltem immediatè ad voluntatem credendi, quæ voluntas non versatur circa verum bonum, vt constat, atque ideo non potest moueri immediatè à veritate obiecti, sed à bonitate credendi obiectum taliter propositum: quare sermo est solum de apprehensione bonitatis credendi, ex qua generatur iudicium de eadem bonitate. Quod ergo apprehensio hæc sit supernaturalis, parum refert si iudicium ipsum, quod immediatè & proximè mouet voluntatem, non est supernaturale, sed naturale. Nec satisfaciunt, quod dicit Suarez paulo antea, deesse in illo iudicio naturali potestatem, seu efficacitatem ad mouendam voluntatem, & quasi eleuandam ad actum supernaturalem & ad hoc coniungendam esse illuminationem illam supernaturalem. Hoc, inquam, non satisfacit, quia apprehensio illa supernaturalis non eleuat vtcumque voluntatem, solum quasi principium, sicut habitus infusus ad supplendum defectum potentie naturalis in ordine ad actum, & effectum supernaturalem: sed debet eleuare per modum illuminationis, proponendo bonitatem obiecti, & illuminando. Hoc autem non potest facere apprehensio, si iudicium necessarium etiam est; nam licet aliqui dicant, posse voluntatem moueri à simplici apprehensione sine iudicio, vt postea videbimus: illi tamen omnes, qui dicunt requiri iudicium nec sufficere apprehensionem simplicem, consequenter dicunt, id esse, quia apprehensio solum illuminat immediatè intellectum ad iudicandum, à quo solo iudicio potest illuminari proximè voluntas, & moueri saltem ad affectus absolutos; Alioquin vt dixi, apprehensio illa sola supernaturalis sufficeret sine alio iudicio de bonitate credulitatis: quare illa duo non videntur satis consequenter asseri, & coniungi in hoc modo dicendi.

7 Vnde arguitur secundò, quia obiectum illius apprehensionis, siue sit naturale, siue supernaturale, non apparet, cur non possit terminare etiam actum iudicii supernaturalis, cum terminet apprehensionem supernaturalem, & omnis apprehensio, maximè quæ proponit euidenter bonitatem obiecti (provt per hanc apprehensionem proponi debet bonitas credendi) apta sit ad generandum actum iudicii circa idem obiectum; si ergo interuenit apprehensio supernaturalis, & hæc debet esse de bonitate credendi, (alioquin non posset mouere voluntatem ad volendam fidem, & credulitatem, quia bona est) non apparet, quomodo ex illa apprehensione non generetur iudicium etiam supernaturale de eodem obiecto, & de tali bonitate credendi.

8 Tertiò impugnat, quia si ad voluntatem supernaturalem credendi sufficit iudicium naturale, integruente illustratione, & apprehensione supernaturali, idem dici posset in aliis voluntatibus supernaturalibus elicitis ab aliis virtutibus, sufficere ad illas iudicium vltimum naturale, requiri tamen simul aliquam illustrationem, & apprehensionem supernaturalem, quæ eleuet voluntatem, & illuminet sufficienter ad effectum supernaturalem, atque adeo tolletur de medio necessitas iudicii supernaturalis ad quolibet affectus supernaturales aliarum virtutum, & solum requireretur iudicium naturale cum apprehensione supernaturali.

9 Nec etiam idem inconsequentie periculum arguitur in fugit P. Coninch. loco supra citato, dum argu-

menta quibus probare vult supernaturalitatem quoad modum in eò iudicio, probare videntur supernaturalitatem etiam in substantia, quam ipse negat. Probat enim in primis *num. 2. 1.* non esse supernaturalem in substantia, primò, quia alioquin fides non esset initium, & fundamentum vitæ, & status supernaturalis, sed initium inchoetur ab illo iudicio præcedente voluntatem credendi, quod videtur esse contra Patres non agnoscetes initium aliud præter fidem. Secundò quia fides, spes, & charitas ideo ponuntur supernaturales, quia sunt media per se ordinata ad finem supernaturalem, cum quo debent habere proportionem, & ad meritum præmij omnino supernaturalis: illud verò iudicium non constituit nos villo modo etiam inchoatiue in statu merendi, neque per se meretur, aut ordinatur ad meritum vitæ æternæ, nisi remore, & ratione alterius, quatenus est conditio prærequisita ad fidem.

Vtraque ratio probaret, nec esse supernaturalem quoad modum, prima; quia Patres dicentes, fidem esse initium vitæ spiritualis, non loquuntur solum de initio supernaturali in substantia, sed de quolibet initio, imò potissimè dicebant ad excludenda opera facta viribus naturæ, ne ab ipsis fumeretur initium salutis, & iustificacionis aut meriti in ordine ad salutem, loquebantur quippe contra Pelagium ponentem initium salutis ex operibus naturalibus; Vnde Augustinus ep. 104, concludit. *Restat igitur, vt ipsa fides, vnde omnis iustitia sumit initium, non humano tribuatur arbitrio, neque ullis meritis, sed gratiarum Dei donum esse fateamur, si gratiam veram, id est, suæ meritis cogitamus, quoniam inde incipiunt bona quæcumque sunt merita.* Ad quod videri possunt plura alia loca apud Suarez lib. 1. de Gratia cap. 20. num. 11. & 12. Non minùs ergo esset contra Patres ponere initium salutis ante fidem, quod esset supernaturale quoad modum, quàm si esset supernaturale quoad substantiam: neque enim Pelagius ponebat ante fidem initium salutis supernaturale in substantia, sed omnino naturale, quod tamen Patres omnino excludere contendebant.

Vnde secunda etiam ratio non minùs retorqueri potest contra eundem auctorem; quia non minùs iudicium illud credibilitatis ordinatur ad salutem & ad meritum, quàm actus fidei; si quidem iudicium illud est prærequisitum, & proximè mouet ad piam voluntatem credendi, quæ non minùs est meritoria salutis, quàm aliæ voluntates bonæ, quæ oriuntur ex fide; nam sicut aliæ in peccatore sunt solum merita de congruo, & in homine iusto sunt merita condigna, ita pia voluntas credendi in peccatore est meritoria de congruo, & in homine iusto est de condigno; nec aliunde, nisi ab illa pia voluntate fides ipsa denominatur meritum congruum, vel condignum in ordine ad salutem; non est ergo maior ratio, cur assensus fidei debeat esse supernaturalis in substantia, quàm iudicium præcedens credibilitatis.

Omnes ergo respondere debemus, quando Patres dicunt, fidem esse initium meritorum, & vitæ spiritualis nomine fidei comprehendere ipsam etiam voluntatem credendi à qua assensus fidei habet suam bonitatem moralem formalem, & totam rationem meriti, ita vt & ipsa etiam voluntas credendi, sit ex gratia peculiari per Christum, & illuminatio

illuminatio etiam præcedens ad volendum credere sit donum Spiritus sancti, propter ipsum Patres in verbis supra relatis expressè docuerunt. Imò inde probant initium salutis esse debere ex gratia, quia fides & voluntas credendi, quæ est initium salutis, & primum meritum, procedere debet ex gratia, & illuminatione præcedenti Spiritus sancti: non ergo excludunt iudicium credibilitatis, imò illud includunt in ipso initio salutis completè sumpto.

13 Restat nunc breviter respondere ad fundamenta eorum, qui volunt iudicium hoc esse naturale. Primò arguunt, quia hoc iudicium supernaturale non potest esse obscurum, quia esset actus fidei, vel certè prærequireret voluntatem aliam determinantem intellectum, ad quam voluntatem prærequireretur aliud iudicium, de quo esset eadem difficultas. Sed nec potest esse evidens, quia in via non habemus actus evidentes supernaturales, sed solum obscuros: tota enim evidentiā, quam habemus, oritur ex lumine naturæ, & ratione naturali convincente intellectum ad assensum: quæ naturalis evidentiā non inducit necessitatem, nisi respectu virium naturalium intellectus. Hoc tamen, & ferè alia argumenta quæ afferunt, procedunt ex principio falso, quod supponunt, nempe non posse esse actum supernaturalem in substantia nisi versetur circa obiectum supernaturale, hoc est, tale, ut non possit actu naturali cognosci, sed exigat actum supernaturalem. In quo quidem non video quomodo consequenter loquantur ponentes voluntatem credendi supernaturalem in substantia, & id de iudicio præcedente negantes. Voluntas enim nec habet, nec habere potest obiectum aliud, nisi quod ab intellectu proponitur amandum. Peto ergo an voluntas credendi, quæ supernaturalis est, habeat obiectum aliquod supernaturale? quod si id concedant, quia habet pro obiecto honestatem fidei, quam amat, idem certè obiectum habet iudicium præcedens; non potest enim voluntas ferri, nisi in illam eandem bonitatem, & honestatem, quam prius intellectus ei proponit. Sicut ergo bonitas illa fidei potest terminare voluntatem supernaturalem, cur non poterit eadem terminare cognitionem etiam supernaturalem. Aliqui ergo dicunt, iudicium hoc esse supernaturale ex obiecto, quia repræsentat honestatem credendi absque formidine repertam in assensu supernaturali. Ita Hurtado *disp. 63. §. 10.* Alij melius, & facilius negant supernaturalitatem iudicii provenire ex supernaturalitate obiecti; supponunt enim potuisse esse actus naturales circa eadem obiecta, circa quæ versantur de facto actus intellectus, & voluntatis, quos habemus in via; ita cum alijs Ripalda *dicta disp. 49. de ente supernaturali sect. 5. num. 3.* obiectum itaque de se indifferens est, ut cognoscatur, vel ametur per actum naturalem, vel supernaturalem: Deus tamen elevans hominem ad finem supernaturalem elevat etiam ad actus supernaturales proportionatos fini supernaturali, & statui gratiæ supernaturali. Vnde nec est repugnantia, quod de facto habeamus actus aliquos supernaturales evidentes, qui necessarij sunt ad hanc seriem actuum fidei, & aliarum virtutum, quos exercemus. Sic enim diximus *disp. 1. sect. 6.* posse aliquando esse evidenter actum supernaturalem, quo iudicamus infinitam veracitatem Dei. Imò idem Ripalda *ubi supra*, dicit, de facto prudentiam infusam elicere assensus evidentes, quibus iudicat,

Deum esse amandum, superiori esse obediendum, & alia similia. Quod tamen loquendo saltem de iudicio non ultimo circa honestatem operis, mihi difficilius est, quia prudentia infusa in ordine ad operationem aliarum virtutum præter ipsam fidem, subordinatur eidem fidei, & proponit honestatem operis dependentem ab aliqua revelatione Dei, vel ab aliqua veritate revelata, ut dixi *disp. 1. sect. 13.* ut ita verum sit, merita earum virtutum procedere ex fide, & fidem esse principium, & fontem totius meriti; in ordine tamen ad ipsam fidem, quæ non potest fundari in eadem fide, non est inconueniens dari aliquam cognitionem evidentem supernaturalem.

14 Sed contra urget secundo Suarez *dicta sect. 8. num. 2.* quia ratio, & medium, per quod habetur iudicium illud, est naturale, & per discursum naturalem potest fieri, videlicet hoc modo: *Quidquid sufficienter proponitur est credibile: hoc obiectum sufficienter proponitur, ergo est credibile*, in quo discursus maior est nota per se lumine naturali, minor etiam experimento cognoscitur, ergo iudicium de conclusione naturale est. Granado licet *tract. 2. disp. 2. num. 5.* dixisset evidentiā credibilitatis esse conclusionem elicita virtute præmissarum; postea tamen *tract. 9. disput. 4. num. 11.* loquens de ultimo iudicio practico evidenti, quod præcedit affectum credibilitatis, dicit non esse discursum, sed simplicem assensum, quem intellectus facit, supposita aliqua propositione mysterium fidei, qualis requiritur ad credendum. Ripalda verò *d. disp. 49. num. 32.* dicit, iudicium hoc non esse quidem acquisitum per discursum præcedentibus alijs iudicijs supernaturalibus, esse tamen quendam virtutalem discursum continentem iudicium evidens credibilitatis, ut obiecti materialis, & testimoniorum, quæ mysteria fidei reddunt sufficienter credibilia, ut obiecti formalis; quemadmodum discursus quidam virtualis est assensus supernaturalis fidei, & cognitio supernaturalis. *Actus de existentia divina: id enim prævia apprehensione perfecta argumentorum fidei, facile potest contingere.* Hæc ille, in quibus in primis non placent exempla, quæ affert: nam cognitio, quam Angelus naturaliter habet de existentia Dei per creaturas, non est propriè discursus virtualis, ut diximus *supra disp. 7. sect. 2.* quia non infert unum ex alio, sed cognoscit unum in alio, tanquam in medio, quod quidem non sit medium ex quo, sed medium in quo aliud cognoscitur; in quo nullus potius discursus intercedit, quia non est duplex assensus etiam virtualiter, sed vnicus indivisibilis, & simplicissimus, quo dicitur, creatura hæc pender à Deo existenti: esset autem discursus virtualis, si diceret, Deus existit, quia creatura dicit ordinem ad ipsum: ut ibi latius explicuimus. Quare si iudicium credibilitatis est, sicut cognitio illa Angelica, non erit discursus nec formalis, nec virtualis. Vnde non bene assertur illud alterum exemplum assensus fidei: in illo enim datur verè, & propriè discursus saltem virtualis, quo dicitur, Incarnatio facta est, quia Deus est summè verax, & illam revelavit. Omnis autem talis discursus virtualis resolui potest in formalem, in quo eadem conclusio inferatur ex præcedentibus præmissis; quare si iudicium credibilitatis est similis assensui fidei, consequens est, ut sicut in fide potest intervenire discursus formalis, ut concedit idem auctor *disp. 55. sect. 5. n. 31.* Sic etiam iudicium credibilitatis

litas possit ex præcedentibus præmissis inferri.

15

Ego existimo, iudicium hoc posse utroque modo fieri, nempe per discursum, & sine discursu, & utroque casu posse esse supernaturale. Et in primis potest fieri per discursum formalem, vel virtualem, quo ex modo, quo res fidei proponuntur, inferamus euidenter, eas esse prudenter credibiles, & debere credi. Nec video, cur hoc non possit esse iudicium vltimum, & proximè ac sufficienter mouens ad piam voluntatem credendi: nam esse genitum ex discursu non tollit, quod sit practicum, & ostendat vltimè amabilem, seu volubilem honestatem, & bonitatem fidei. Et quamuis ante voluntatem credendi supponatur etiam cognitio reflexa de certitudine radicali actuum præcedentium, quibus proponitur obligatio credendi, vt explicuimus *disp. 5. sect. 1.* quam cognitionem diximus esse intuitiuam, cum versetur circa statum, quem habent in intellectu objecta fidei, & circa modum, quo proponuntur, qui modus cum sit intra nos, potest intuitiue à nobis percipi ea ratione, qua percipimus nostros actus intellectus, & voluntatis: illa tamen cognitio reflexa, non videtur esse vltima, vel certè non est necesse, quod sit vltima; nam iudicium vltimum proponens voluntati objectum amandum debet iudicare de bonitate objecti amandi: illa autem cognitio reflexa non tam videtur iudicare de bonitate actus fidei, quàm de certitudine actuum præcedentium, quibus proponitur obligatio, & honestas credendi: quare restat, quod ex illa cognitione inferatur alia de honestate & bonitate credendi, quod solum vltimum iudicium proximè mouens voluntatem, vt velit assensum fidei propter eius bonitatem, oportet quod sit supernaturale, vt habeat proportionem cum affectu pia affectionis, qui debet esse supernaturalis. Nec obstat, quod præmissa sint naturales: quia iam vidimus *suprà disp. 1. sect. 13.* assensum conclusionis Theologicæ esse posse supernaturalem, licet vna præmissa sit naturalis. Nam vt sæpe diximus, supernaturalitas horum actuum non provenit ex objecto exigente de se actum supernaturalem, sed ex eo, quod Deus eleuat per concursum, & principia supernaturalia ad actus voluntatis pertinentes ad salutem, & ad cognitiones saltem proximè conducentes & mouentes ad eiusmodi actus voluntatis. Aliunde verò non debemus ponere supernaturales omnes actus intellectus, qui remotè possunt deferuire ad affectum voluntatis supernaturalem, vt vidimus *suprà disp. 9. sect. 4.* quia aliquoquin maxima pars nostrarum cogitationum esset supernaturalis in substantia. Quod si adhuc aliquis velit, illam etiam esse priorem notitiam euidentem de certitudine obligationis, ex qua infertur vltima conclusio practica, esse supernaturalem, non erit multum de hoc contendendum.

16

Addo ergo, posse etiam iudicium illud vltimum euidenter credibilitatis poni sine discursu, sed vt notitiam quandam immediatam de bonitate, & honestate credendi, prout indicant auctores citati. Posita enim notitia motiuorum credibilitatis, & cognitione reflexa, de modo, quo apprehenduntur, & proponuntur, potest intellectus sine vilo discursu, sed immediatè iudicare, in his circumstantiis, & cum his notitiis præcedentibus, honestum, & necessarium esse credere propter diuinam reuelationem ea, quæ proponuntur

credenda. Quod in exercitio etiam aliarum virtutum contingere videtur: ad voluntatem enim honestam subueniendi huic indigenti non est necesse semper formare hunc discursum: *honestum est subuenire indigenti: iste nunc indiget: ergo honestum est ei subuenire.* Sed visa eius indigentia, possumus formare sine discursu iudicium vltimum practicum immediatum dictans, in his circumstantiis, & cum tali notitia indigentie honestum esse huic subuenire, quod iudicium pertinet ad prudentiam. Similiter ergo honestas fidei potest practicè iudicari absque discursu, attentis circumstantiis, & notitia reflexa de modo, quo motiua nobis propoſita sunt: tunc enim ex terminis patet, honestum esse in his circumstantiis non dissentire, sed credere, quæ proponuntur.

Vnde obiter infero, prudentiam infusam posse fortasse aliquando vtriusque generis actus dicere, scilicet mediatos cum discursu, atque etiam immediatos, & sine discursu. Cum enim vtrique actus deferuire possint immediatè, & proximè per modum iudicii practici vltimi ad voluntatem supernaturalem, vtrique debent esse supernaturales, & eliciti, vt suppono à prudentia infusa. Cum hoc tamè discrimine, quod iudicium sine discursu sine fincillo, quæ deferuiunt immediatè ad voluntatem piam credendi, non debeant fundari in fide, nec in auctoritate diuina, sed aliunde debeant iudicare de bonitate, & honestate credendi. Cum enim præsupponatur ad fidem, non debent oriri ex fide, sed aliquo modo fidem inchoare. At verò iudicia practica vltima circa honestatem aliarum virtutum infusarum, debent, si aliquando sunt, fundari in fide, & auctoritate diuina, vt hoc modo merita omnia supernaturalia præter ipsam fidem oriantur à fide. Et quidem quando iudicium practicum vltimum sit per discursum, facile intelligitur, quo modo oriatur ex fide; procedere enim potest ex vna præmissa de fide, qua creditur, v.g. eleemosynam esse honestam, quia Deus ita testatur, & ex altera, qua iudicatur in his circumstantiis concurrere conditiones saltem apparentes eleemosynæ, ex quibus concluditur bonum esse hic & nunc subuenire huic proximo petenti, &c. Quæ conclusio practica pertinet ad prudentiam infusam, vt diximus *suprà disp. 1. sect. 13.* Quando verò iudicium practicum vltimum non est conclusio deducta per discursum, sed cognitio immediata dictans bonum esse hic & nunc subuenire huic petenti, quem actum diximus pertinere posse aliquando etiam ad prudentiam infusam, quando immediatè mouere potest ad voluntatem supernaturalem eleemosynam: tunc, inquam, hic etiam actus fundatur in fide, & oritur à fide: quia licet non habeat pro motiuo formali intrinseco objectum formale fidei (non enim credit bonum esse hanc eleemosynam, quia id Deus dicit, sed ex terminis iudicat bonam esse in his circumstantiis) supponitur tamen præcognita bonitas huius eleemosynæ ex motiuo fidei, & post factam reflexionem supra has omnes notitias, & supra earum certitudinem, & modum, quo hæc omnia proponuntur intellectui, succedit iudicium illud practicum immediatum, quo ex ipsis terminis intellectus dictat, in his circumstantiis, hoc est, stantibus talibus notitiis de bonitate eleemosynæ, bonum, & aliquando etiam obligatorium esse subuenire petenti: quod iudicium oritur etiam ex fide: non ita vt habeat pro motiuo etiam par-

tiali testimonium Dei, sed ita ut notitia præcedens fidei de bonitate, aut necessitate eleemosynæ, sit una ex circumstantiis, in quibus ex terminis apparet bonitas eleemosynæ huius hinc & nunc eligendæ, quod sufficit, ut voluntas dandi hanc eleemosynam ortum habeat ex fide, & fundetur in fide, si quidem vltima bonitas practica huius eleemosynæ eligendæ resultat partialiter ex præcedente notitia fidei de bonitate eleemosynæ, debet autem iudicium hoc vltimum practicum esse supernaturale, cum ex ipso immediatè, & proximè moueatur voluntas ad electionem huius eleemosynæ. Adde tamen, communiter, & regulariter non videri posse contingere eiusmodi actus prudentiæ infusæ circa materias aliarum virtutum sine discursu ex fide; quia fides communiter non docet, eleemosynam hinc & nunc esse honestam, sed reuelat solum honestatem misericordiae, castitatis, &c. in communi, quare cum hinc constat ex circumstantiis præsentibus, interuenire obiectum illius virtutis, inferimus per discursum honestatem huius actionis in particulari. Si tamen aliquando fide constare posset honestas particularis hinc & nunc, posset prudentia ex reflexione supra hanc notitiam iudicare immediatè hinc & nunc stante tali notitia fidei ita esse operandum.

Posset tamen dubitari, an utriusque generis iudicia eliciantur ab eodem habitu infuso prudentiæ, an à diuersis. Videntur enim non posse pertinere ad eundem habitum, cum nullum habeant obiectum formale etiam partialē commune: nam licet conclusiones omnes prudentiæ infusæ in materia earum virtutum respiciant tanquam motiuum formale pariale auctoritatem diuini testimonij, & ideo possint pertinere ad eundem habitum infusum prudentiæ: iudicia tamen immediatè practica non habent vllō modo pro motiuo etiam partiali auctoritatem diuinam, sed singula habent pro motiuo veritatem honestatis particularis practicæ, quæ confurgit ex circumstantiis præsentibus, quæ honestas peculiaris affirmatur immediatè per singula illa iudicia practica, quare non minùs videntur differre inter se iudicia illa, quàm differant volitiones consequentes eorum obiectorum; quæ tamen, quia singulæ habent pro motiuo adæquato honestatem propriæ virtutis, non pertinent ad eundem habitum infusum voluntatis, sed ad plures diuersos.

Potest autem hoc confirmari primò ex iis, quæ diximus *ubi supra dicta disp. 1. sect. 1. 3.* idè vnum habitum infusum sufficere ad omnes conclusiones practicas circa honestatem virtutum moralium diuersarum, licet in voluntate sint plures habitus infusi ad ea obiecta amplectenda; quia voluntas non respicit intrinsecè motiuum fidei, sed solum honestatem obiecti; prudentia autem infusa in omnibus iis conclusionibus practicis respicit intrinsecè saltem partialiter motiuum fidei: vnde fieri videtur, quod quando iudicia practica prudentiæ infusa, non respiciunt intrinsecè motiuum fidei, sed solum honestatem obiecti, non possint magis pertinere ad eundem habitum infusum, quàm actus voluntatis, qui versantur circa honestates diuersarum virtutum.

Confirmatur secundò ex dictis *eodem loco*, ubi diximus, iudicium credibilitatis supernaturale non pertinere ad eundem realiter habitum prudentiæ infusæ, à quo eliciuntur iudicia practica

Card. de Lugo de Virtute Fidei Diuina.

circa honestates aliarum virtutum; quia nimirum alia omnia iudicia habent pro motiuo intrinsecè partiali auctoritatem diuinam, seu motiuum fidei, quod motiuum non habet iudicium credibilitatis, cum non affirmet honestatem credendi, quia Deus eam reuelauit, sed propter alia motiua, vel immediatè, & ex terminis. Propter eandem ergo rationem hæc iudicia practica, quæ non sunt conclusiones deductæ ex fide, non pertinebunt ad eundem habitum, ad quem pertinent illæ conclusiones, quia non magis habent pro motiuo intrinsecè partiali testimonium Dei, quàm illud habeat iudicium elidens credibilitatis.

Hæc sanè probabilem reddunt hanc partem, pro qua sunt Auctores graues, quos *loco citato* adduximus, docentes prudentiam infusam non esse vnum simplicem habitum, sed aggregatum ex pluribus partialibus. Sed neque in hoc puncto aliquid possumus certò definire: responderi enim posset, hæc omnia iudicia practica pertinere adhuc ad eundem simplicem habitum infusum: nam licet non sint conclusiones deductæ ex eodem motiuo formali partiali reificationis diuinæ, sed cognitiones practicæ immediatæ de honestate obiecti: videntur tamen habere aliquam vnitatem, & communicationem in obiecto formali, quia ipsamet honestas practica operationis, de qua fertur vltimum iudicium practicum, resultat partialiter ex eo, quod proposita sit taliter honestas eleemosynæ, v. g. vel temperantiæ, per notitiam fidei præcedentem circa honestatem talium obiectorum, quæ notitia fidei taliter proposita est una ex circumstantiis, ex quarum circumspeditione, & reflexione fit postea iudicium illud practicum immediatum; quare in iis omnibus videtur esse aliquid commune ex parte obiecti, nempe notitia fidei præcedens circa honestatem communem talis virtutis, quod videtur sufficere, ut idem habitus infusus possit ad ea omnia extendi. Præsertim cum hæc omnia iudicia practica eodem modo subordinentur fidei, eamque supponant, & in ea fundentur modo supra explicato. Nec eadem est ratio de actibus voluntatis virtutum infusarum; ij enim nullo modo attingunt formaliter intrinsecè fidem, vel eius obiectum formale, ut obiectum suum, sed solum honestatem, & conuenientiam cum natura rationali, cum tamen iudicium practicum respiciat formaliter fidem, cum ex terminis ipsis, hoc est, ex tali propositione honestatis reuelatæ, & talibus circumstantiis iudicet, operationem hanc esse honestam. Denique nec videtur esse eadem ratio de iudicio credibilitatis, ut illud etiam pertineat ad eundem habitum infusum: nam iudicium illud nec fundatur in fide, nec habet fidem, aut eius obiectum pro motiuo, vel obiecto formali partiali; quare minùs conuenit cum iudiciis practicis circa alias virtutes, quàm ipsa iudicia conuenient inter se.

Video, hæc omnia exposita esse obiectiōibus, & responsionibus: posset enim opponi, quod sicut iudicia illa practica immediatè attingunt ex parte obiecti partialiter ipsam fidei notitiam tanquam circumstantiam constituentem vltimam honestatem practicam talis operationis; sic etiam voluntas eleemosynæ subsequens respiciat intrinsecè eandem notitiam fidei, debet enim attingere eandem omnino honestatem, quæ vltimò, & proximè proponitur per iudicium vltimum practicum: quare si iudicium practicum proponit honestatem practicam constitutam partialiter ex cir-

cunctantiis, quarum vna est notitia fidei præceden; eandem honestatem constitutam ex eisdem circumstantiis debet attingere voluntas consequens: vnde iam omnes voluntates supernaturales diuersarum virtutum ortæ ex talibus iudiciis practicis immediatis possent habere inter se eandem vnitatem sufficientem, vt possent procedere ab eodem habitu infuso voluntatis, quam habent iudicia practica præcedentia.

Contra discrimen etiam assignatum iudicij credibilitatis opponi posset, quod licet iudicium illud non supponat actum fidei, nec illum attingat ex parte obiecti tamen circumstantiam honestatis; supponit tamen propositum obiectum fidei, & eius motiua, & ex hac propositione, tanquam ex motiuo, vel circumstantia præcedente iudicat obligationem credendi, & eius honestatem; quare iam videtur attingere ex hac parte obiecti aliquid commune cum illis aliis iudiciis, ratione cuius possent pertinere ad eundem habitum infusum, si omnia illa possunt ad eundem habitum pertinere propter non multo maiorem convenientiam, quam habere videntur ex parte obiecti

22. Vides totum hoc punctum problematicum esse in quo pro neutra parte firmū sit fundamentum ad oppugnandum, vel propugnandum. Ego sanè ægre feror ad multiplicandos habitus infusos sine aliqua necessitate: quare, licet facile concedam in prudentia acquisita non esse eundem adæquatè habitum, qui eliciat iudicium practicum per discursum, & ex aliis præmissis, & qui eliciat iudicium practicum sine vilo discursu etiā virtuali, sed ex terminis; quia obiectum formale vtriusque iudicij est diuersum: loquendo tamen de habitu infuso non est tanta necessitas multiplicandi habitus; neque enim debemus solum attendere ad obiecta, sed etiam ad finem, ad quem eiusmodi habitus infunduntur, vt fiant operationes proportionatæ nostræ salutis supernaturali. Quare si in ordine ad eum finem vnus actus, vel vnum obiectum æquiualeat ferè alteri, non debet dari habitus infusi diuersi, licet in se habeant differentiam specificam, vel etiam maiorem, propter quod diximus supra *disp. præcedenti*, eundem habitum infusum, elicere actus reflexos supra honestatem formalem actus sui directi, quia vtraque bonitas æquiualeat ad finem salutis. Similiter ergo in casu nostro videtur esse æquiualentia inter iudicium de honestate, quod sit conclusio deducta ex actu fidei, & alia præmissa, & inter iudicium de eadem honestate, quod non sit conclusio, sed assensus immediatus ex terminis, quo practice iudicamus, in his circumstantiis, & stante tali propositione obiecti, & tali notitia fidei de honestate in communi talis virtutis, honestum, & necessarium esse credere. Ad finem enim horum actuum supernaturalium parum videtur referre, quod iudicium illud fiat cum discursu, vel sine discursu ex apprehensione circumstantiarum; quare non immerito possumus credere eundem habitum ad vtrumque iudicij genus extendi. Vnde rursus videtur inferri, non esse plures habitus infusos ad hæc iudicia pro diuersitate honestatum, quas proponunt: quia cum dixerimus *dicta sect. 13.* eundem habitum infusum elicere conclusiones illas practicas circa honestates omnium virtutum, & aliunde nunc ponamus in ordine ad finem horum habituum supernaturalium æquiualeere conclusiones practicas, &

iudicia etiam practica sine discursu circa eandem honestatem: consequens est, vt vnus, & idem habitus infusus, qui sufficit ad omnes illas conclusiones practicas, sufficiat etiam ad iudicia illa omnia practica sine discursu circa eandem honestatem, dummodo ea omnia iudicia practica fundentur in fide eo modo, quem *sup.* explicauimus.

Cum hoc denique stare potest, quod ad iudicium evidens vltimum, & practicum credibilitatis, siue illud cum discursu, siue sine discursu fiat, detur habitus infusus distinctus ab habitu, qui elicit iudicia practica circa honestates aliarum virtutum. Vidimus enim aliquam maiorem diuersitatem esse inter iudicium illud credibilitatis quod non fundatur in fide, & illa alia iudicia circa honestates aliarum virtutum, quæ omnia fundantur in fide, quam sit inter iudicium circa misericordiam, & iudicium circa temperantiam, &c. quando vtrumque fundatur in fide. Qui cæcilius diuersitatis, licet magnus fortasse non sit, ponit tamen sufficere per modum congruentiæ ad distinguendos eos habitus infusos, quorum distinctio expediebat ad hanc seriem actuum, & habituum supernaturalium, in qua sicut Deus voluit fidem esse separabilem à spe, & spem à charitate, & ideo multiplicauit realiter eos habitus; ita voluit etiam, quod in peccatore simul cum actibus fidei, quos in statu peccati exercet, præcedant iudicia credibilitatis supernaturalia necessaria ad eas voluntates credendi, atque adeo sicut manet etiam habitus infusus pie affectionis ad volendum credere, maneat etiam in intellectu habitus infusus necessarius ad iudicia credibilitatis, cum sit eadem ratio de permanentia vtriusque habitus. Cum ergo aliunde communis sententia supponat non manere in peccatore habitus infusos aliarum virtutum moralium, consequens videtur, quod nec maneat in intellectu prudentia infusa in ordine ad actus earum virtutum; oportebat ergo, vt in hac serie, & ordine darentur separabiles, & distincti habitus infusi ad iudicium circa honestatem credendi, & ad iudicia circa honestates aliarum virtutum: quæ distinctio habituum non erat etiam violenta, quæ maior vnitas repetitur, vt diximus, inter obiecta iudiciorum aliorum, quæ omnia fundantur in fide ad inuicem comparata, quam inter illa iudicia, & iudicium credibilitatis, quod neque oritur ex fide, neque illa fundatur: & hæc sufficiat dixisse occasione illius argumenti, in quo petebatur, an iudicium hoc credibilitatis fiat cum discursu, vel sine illo; quæ forte questio non erat tanti ponderis, cum vtrique modo possit esse iudicium supernaturale, sed ne quispiam fortasse putaret, magnum in ea latere mysterium, oportuit, breuiter insinuare difficultatis capita, quæ pro vtraque parte poterat occurrere.

Vltimò itaque contra supernaturalitatem iudicij credibilitatis argui solet, quia non potest explicari ad quem habitum infusum pertineat iudicium illud, nec quale principium supernaturale habeat. Ad hoc tamen respondetur *sectio- ne sequenti.*

SECTIO II.

*A quo habitu infuso eliciatur iudicium
credibilitatis.*

24 *Prima sententia.* Prima sententia multorum dicit, hoc iudicium elici ab ipso eodem habitu infuso fidei. Hanc tamen impugnauimus *supra disput. 5. sect. 3.* ubi vidimus non posse elici ab habitu fidei, ad quem verò habitum spectet, referuimus in hunc locum. Vide, quæ *ibi* dicta sunt, ne iterum ea nunc repetamus.

Secunda sententia. Supposito ergo, quod non elicitur ab habitu fidei, est secunda sententia aliorum, quos refert Granado *tract. 9. disp. 4. num. 9.* qui dicunt, hunc actum elici ab aliquo dono Spiritus sancti. Quos tamen ipse impugnatur *ibi*, & latius Suarez *disput. 6. sect. 8. num. 1.1.* quia dona Spiritus sancti non sunt in peccatore. Ad hoc tamen dici posset, suppleri tunc per auxilium actuale extrinsecum, vel intrinsecum. Quare melius arguitur ex eo, quod dona illa Spiritus sancti dantur ad extraordinarios effectus gratiæ, qui sunt præter communem, & ordinariū modum, iuxta specialem motionem extraordinariam Spiritus sancti: morio verò ad volendum credere non est talis, sed communis & ordinaria omnibus adultis; ideo ipse Suarez putat, iudicium hoc non esse supernaturale in substantia, quia non potest elici à prudentia infusa propter argumenta, quæ ex ipso adduximus, & dissoluimus *sect. præcedenti*.

25 *Sententia communis.* Communis ergo sententia, quæ mihi semper placuit, docet elici ab habitu prudentiæ infusæ, ita Valentia in *presenti disput. 1. quest. 1. puncto 4.* Coninch, *disput. 13. dub. 2.* ipse tamen *dub. 3.* dicit esse solum supernaturale quoad modum. Hurtado *disp. 63. sect. 2. §. 8. & 10.* concedit, esse supernaturale in substantia, & esse actum prudentiæ. Item Ripalda *disputatione 49. de ente supernaturali numero 33.* & alij Recentiores communiter. Aduerte tamen aliquos ex his auctoribus distinguere duo iudicia credibilitatis; vnum primum, quo cognoscitur honestas credendi, vt explicat Hurtado, seu obiectum propositum esse euidenter credibile, vt explicat Coninch. Alterum verò iudicium requiritur postea dictans hîc & nunc esse credendum. Primum iudicium dicunt non esse actum prudentiæ, sed solum secundum, quod est practicum, & dirigit ad operandum.

26 *Quid sentiat auctor de hac iudiciorum diversitate.* Hanc diuersitatem iudiciorum nunquam satis capere potui, vel certè modus, quo eam explicant, reddit eam difficilem. Dicit enim Hurtado §. 8. primum illud iudicium non pertinere ad prudentiam in alijs virtutibus: nam prudentia, verbi gratia, non considerat honestatem misericordiæ (alioquin omne iudicium supernaturale præcedens actus virtutum infusarum pertineret ad prudentiam) sed præcisè representat conuenientiam, vt hîc & nunc exerceantur virtutes, quas dirigit. Quod quidem dictum difficile intelligitur: nam vel prudentia dictat solum circa voluntatem eleemosynæ, verbi gratia, vel dictat etiam circa ipsam eleemosynam externam. Primum dici non potest: tum quia non requiritur cognitio reflexa supra voluntatem bonam, quoties volumus opus virtutis, sed sufficit cognoscere honestatem obiecti: illud autem secundum iudicium prudentiæ ponitur ab eo Auctore

Card. de Lugo de virtute Fidei diuine.

re necessarium ad quodlibet opus honestum: tum etiam, quia iudicium prudentiæ dictans voluntatem eleemosynæ non potest illam dictare, nisi ostendat bonitatem illius voluntatis: frustra enim aliquid proponeret voluntati, nisi ostendat simul esse bonum: ergo prudentia ostendit honestatem illius voluntatis, quia nullam aliam rationem boni potest in ea ostendere: ergo prudentia considerat honestatem misericordiæ contra id, quod ille Auctor supponit. Si verò dicat, prudentiam dictare ipsam eleemosynam externam; vrget fortius idem argumentum, quia non potest dictare voluntati eleemosynam, nisi ostendat ei bonitatem aliquam eleemosynæ: ergo honestatem misericordiæ, cum nullam saliam bonitatem possit ostendere. Falsò ergo supponitur prudentiam non considerare honestatem operis honesti, quod præscribit, nec per hoc possunt distingui illa duo iudicia.

27 Difficilius tamen explicat Coninch *ubi supra numero decimoquinto*, differentiam inter illa duo iudicia; dicit enim primum illud iudicium non esse actum prudentiæ, quia est speculatiuum probans credibilitatem solum obiecti, vt dixerat etiam Turrianus in *presenti disputatione 7. numero 4. versus finem*, addit autem Coninch, illud primum iudicium posse esse etiam in eo, qui ob malam voluntatem iudicat, res fidei hîc & nunc non esse sibi credendas: quo loquendi modo videtur indicare, secundum iudicium, quod dicit pertinere ad prudentiam, non posse esse in eo, qui ex deprauato affectu non vult credere. Quæ omnia difficilia sunt. Primum, quia primum iudicium dictans credibilitatem fidei non dicit solum res fidei posse credi, sed etiam dicit debere credi: alioquin non erit iudicium credibilitatis, hoc est, ostendens moriua proposita tanti esse ponderis, vt obligent ad credendum, nec hæreticus peccaret contra fidem, si solum cognosceret res fidei posse credi, non tamen cognosceret obligationem credendi. Primum ergo iudicium, quod datur etiam in hæretico, dictat debere res fidei nostræ hîc & nunc credi: quomodo ergo cum hoc iudicio potest simul stare aliud dicens hîc & nunc non esse credendum? Peto enim quid negat hoc secundum iudicium? Solum ne actum fidei futurum, an etiam debitum, seu conuenientiam credendi? Primum dici non potest, nam in eo, qui credit, non prærequiritur iudicium affirmans assensum fidei futurum, nec etiam si daretur, posset influere, aut mouere ad fidem, quam iam supponit futuram; sicut nec scientia visionis potest esse causa sui obiecti propter eandem rationem: quare nec potest iudicium illud pertinere ad prudentiam, cum non sit practicum, sed magis speculatiuum, quam primum. Vnde arguitur Secundo, quia iudicium credibilitatis vltimum non debet esse tale, cum quo non possit stare dissensus ad fidem: alioquin hæreticus non haberet omnia prærequisita in actu primo proximo ad volendum credere, atque ideo non peccaret: ergo ex hoc capite quod cum primo iudicio possit esse voluntas non credendi, non debet negari illud esse practicum & vltimum. Vnde rursus tertio arguitur, quia si primum iudicium affirmat obligationem credendi, non potest cum illo stare aliud secundum iudicium negans conuenientiam credendi; nam contradiceret primo, nec possunt esse simul duo iudicia contradictoria; solum ergo potest cum illo iudicio stare aliud dicens fidem esse difficilem,

Z 2 vel

vel noxiam ad aliqua alia, quod iudicium requiritur ad libertatem fidei, & datur etiam in homine fidei; non tamen potest esse iudicium dicens absolute non esse credendum hic & nunc, seu non debere credi, quia esset contra euidenciam prioris iudicij affirmantis debere credi. Restat ergo, quod primum illud iudicium si verè affirmat, attentis omnibus circumstantiis, credibilitatem obiecti, hoc est, obligationem credendi, sit practicum, atque adeo possit pertinere ad prudentiam directiuam.

28

Dixi, si affirmat, *attentis omnibus circumstantiis* credibilitatem, &c. quia si solum affirmaret credibilitatem in abstracto, hoc est, aliquando posse, vel debere credi, non esset sufficiens, ut moueret proximè voluntatem, quia non ostenderet bonitatem fidei in his circumstantiis: nos autem loquimur de iudicio dictante credibilitatem vel in omnibus, vel saltem in his circumstantiis; hoc enim solum est propriè iudicium credibilitatis, quod debet præcedere voluntatem credendi, & de quo quærimus, ad quem habitum pertineat. Nam illud dictans solum credibilitatem, seu debitum credendi, abstrahendo ab his circumstantiis, non esset iudicium practicum, nisi fortè partialiter, & remotè, magis autem esset speculatiuum: sicut iudicium dictans obligationem puniendi malefactores auctoritate publica, non est practicum respectu illius, qui non habet publicam auctoritatem. Quare si de illo solo iudicio loquimur, quando negant, illud esse practicum, vel pertinere ad prudentiam, facile id concedemus, sed non est ad rem, quia quæstio præsens est de iudicio illo, quod necessariò prærequiritur ad voluntatem credendi, & quod ostendit credibilitatem, seu motivorum pondus inducens necessitatem, & obligationem non dissentendi, sed credendi, quod dicimus esse practicum, & pertinere ad prudentiam infusam.

29

An iudicium
hoc vocari
debeat actus
prudentia.

Aduerte tamen primò in hoc posse esse quæstionem de nomine, an iudicium hoc vocari debeat actus prudentiæ: nam prudentia solet communiter assignari inter virtutes morales, & vna ex quatuor Cardinalibus, quatenus inclinatur ad iudicandum, quid sit agendum attentis omnibus circumstantiis circa materias virtutum moralium; hoc autem iudicium non dictat, quid sit agendum circa materiam alicuius virtutis moralis, sed circa fidem, quæ est virtus theologica. Vnde Granado *vbi supra num. 11*. fatetur hoc iudicium non pertinere ad prudentiam illam, quæ est vna ex quatuor virtutibus Cardinalibus, sed ad specialem aliam prudentiam, quæ inclinatur ad iudicandum hic & nunc esse honestum credere, sicut prudentia communis inclinatur ad iudicandum, quid sit agendum, attentis omnibus circumstantiis circa materias aliarum virtutum moralium, in quo, vt dixi, erit quæstio de nomine, & iam nos *sección 1*. admisimus, hunc esse habitum distinctum ab habitu infuso prudentiæ, qui versatur circa materias aliarum virtutum, quare dum res ipsa intelligatur, de nomine prudentiæ specialis, vel communis parum curabimus.

30

Vnde aduerto Secundò, eodem modo posse esse quæstionem de nomine, quatenus aliqui in vniuersum dicunt, prudentiam infusam in suis actibus supponere necessariò actus fidei, cui subordinatur, vt ex S. Thoma, & aliis probat Turrianus *dicto dub. 4*. & ideo dicit, iudicium hoc credi-

bilitatis non posse pertinere ad prudentiam infusam, cum non præsupponatur fidem, sed potius ad fidem præsupponatur; hoc tamen, vt dixi, pertinebit etiam ad quæstionem de nomine, & nos concessimus iam *sección precedenti*, iudicium hoc non pertinere ad eum habitum infusum prudentiæ, cuius actus inferuntur ex actibus fidei, vel fundantur in fide, sed ad alium habitum specialem, quem distinguimus à prudentia illa infusa communi, quæ deferuit ad alias virtutes & subordinatur fidei: quia tamen illam imitatur dirigendo voluntatem circa materias fidei, sicut illa dirigit circa materias aliarum virtutum, ideo appellari potest prudentia infusa specialis in ordine ad credendum.

Dices, illud iudicium credibilitatis est ante fidem, & est à prudentia infusa, ergo ante fidem datur in intellectu habitus infusus prudentiæ. Respondendo negando consequentiam, quia sicut primus actus fidei, & charitatis non elicitur ab habitu, sed per auxilium intrinsecum, vel extrinsecum, vt suppono: sic illud primum iudicium, licet sit prudentiæ supernaturalis non elicitur ab habitu, sed per auxilium.

Dices iterum; ergo saltem, sicut posito actu dilectionis, statim datur habitus charitatis, & posito primo assensu fidei: datur etiam habitus fidei iuxta probabilem sententiam (de qua infra) sic etiam quando primum datur illud iudicium credibilitatis, dabitur habitus prudentiæ infusæ etiam ante assensum fidei, & voluntatem credendi. Respondendo, negando consequentiam; ratio dicuntis est, quod per actum fidei & actus dilectionis disponit se homo meritorie ad infusionem habituum: at verò iudicium illud cum sit euidens, & necessarium, saltem quoad specificationem, non est sufficiens dispositio, vt intuitu eius, Deus infunderet habitum prudentiæ.

Sed contra; ergo saltem quando infunditur habitus fidei, infunditur etiam habitus prudentiæ, & quandiu manet habitus fidei etiam in peccatore manebit prudentia infusa ad dicendum illud iudicium prærequiritum ad volendum credere. Respondendo, de hoc habitu, quoad infusionem & permanentiam, philosophandum esse, sicut de habitu pietatis affectionis, de quo dicemus *disputatione decima sexta*. Pro nunc respondendo, habitum infusum, à quo oritur hoc iudicium, non esse eundem realiter cum habitu prudentiæ infusæ requisito ad operationes aliarum virtutum supernaturalium. Nam prudentia infusa, quæ deferuit ad actus aliarum virtutum, oritur ex lumine fidei, & applicat doctrinam fidei ad circumstantias particulares, vt diximus, atque ideo habet saltem partialiter auctoritatem diuinam pro motu formali virtutis: at verò prudentia infusa, quæ dictat hominem: at verò prudentia infusa, quæ dictat honestatem fidei, non nititur motui fidei, sed procedit omnino euidenter, & mouetur ab honestate credendi euidenter cognita: quare hæc pars prudentiæ infusæ habet habitum distinctum, qui ex hoc capite potest manere in peccatore sine alio habitu prudentiæ: an verò ille alius etiam maneat in peccatore, non est huius loci.

Obiici potest vterius ex Hurtado *vbi supra* §. 8. quia si esset actus prudentiæ iudicium ostendens honestatem fidei, in aliis etiam virtutibus prudentia ostenderet honestates obiectorum singularum virtutum, atque ideo sola prudentia

prudencia sufficeret ad operationes omnium virtutum, nec esset fides necessaria, nec ullum iudicium supernaturale præter actus solius prudentiæ: ergo fatendum est prudentiam non ostendere honestatem obiecti, sed solum præscribit hanc & nunc exercitium virtutis, quam dicitur. Respondeo, iam nos ostendisse contra hanc doctrinam, repugnare, quod prudentia præscribat exercitium virtutis hanc & nunc, quin ostendat honestatem illius in his circumstantiis. Negamus tamen, quod sola prudentia habeat actus supernaturales: requiritur enim, vel potius prærequiritur fides ad exercitium aliarum virtutum præter ipsam fidem; nam actus prudentiæ infuse prærequiritur ad illas alias virtutes, vel est conclusio deducta ex vno principio revelato & credito per fidem, vel certe, si est iudicium immediatum sine discursu, debet esse reflexivum supra omnes circumstantias præsentis, quarum una est, quod honestas virtutis hanc & nunc constat per fidem; vt supra explicuimus, quare non sequitur, solum prudentiam infusam sufficere sine fide, cum illa non possit sine fide suos actus elicere, nisi in ordine ad volendam ipsam fidem.

34 Denique aduerte, aliquando prudentiam accipi strictè pro actu, qui versatur circa electionem mediorum, vel circa consultationem, &c. Vnde Turrianus dicto dubio quarto conatur ostendere, hoc iudicium credibilitatis non pertinere ad prudentiam, sed in iis non est immorandum: loquimur enim de prudentia minus strictè, & propterea comprehendit omnia iudicia practica, quæ vltimò, & proximè ostendunt honestatem actionis hanc & nunc, & attentis omnibus circumstantiis particularibus, quidquid sit de aliquibus actibus prudentiæ magis strictè acceptæ, quibus competunt aliæ proprietates, quæcunque illa sint.

SECTIO III.

Virtus simplex apprehensio de credibilitate sine alio iudicio sufficiat ad piam voluntatem credendi.

35 **Q**uestio hæc posset esse generalis de omni voluntate bona, & honesta, imo de qualibet voluntate etiam mala, vel indifferenti, an possit oriri ex sola simplici apprehensione absque iudicio de bonitate, vel malitia obiecti, quod amatur, vel odio habetur, de quo egi olim in libro de Anima, vbi dixi, non repugnare in genere, quod voluntas moueatur ex aliqua apprehensione simplici ad amorem obiecti, cum Vasquez in 1. 2. disputatione 44. cap. 2. & 3. quia appetitus sensitiuus mouetur, ad amorem, vel fugam obiecti ex cognitione sensus materialis, quæ non potest esse iudicium, sed simplex apprehensio; non videtur autem minus perfecta simplex apprehensio intellectualis, quam materialis, nec minus efficax ad mouendam voluntatem. Quam sententiam postea amplexi sunt P. Ripalda disputatione 62. de ente supernaturali numero septimo, qui late argumenta contraria dissoluit, & Pater Atiaga disputatione septima de anima, sectione tertia, numero 62. sed specialis difficultas esse Card. de Lugo de virtute Fidei diuine.

potest in ordine ad voluntates supernaturales, qualis est voluntas pia credendi, an sufficiat etiam apprehensio simplex supernaturalis sine iudicio præcedenti.

Et in primis in vniuersum id negabunt in ordine ad voluntatem supernaturalem, qui vniuersaliter id negant ad omnem voluntatem. Valentia, Azor, Tannerus, Granadus, Bellarminus, Medina, & Lorca apud Ripaldam vbi supra numero 11. quibus adde eundem Granadum iterum in presenti tractatu 9. disputatione 4. numero 2. idem docet Suarez in Metaphysic. disputatione 23. sectione 7. & in 1. 2. disputatione 6. sectione 5. numero 4. Nec contrarium docuit in presenti disputatione 6. sect. 8. num. 14. dum ponit ad voluntatem credendi solum apprehensionem supernaturalem: nam reuera ibidem paulò inferius dicit, requiri etiam iudicium, sed hoc iudicium esse naturale, & apprehensionem solum supernaturalem; quam sententiam supra impugnaui sectione 1. Quo etiam sensu intelligendus est Turrianus disputatione 46. dub. 5. & 6. quem minus exactè refert Hurtado disputatione 63. sectione 3. tanquam ponentem voluntatem credendi sine alio iudicio præcedenti. Nam licet Turrianus cum Patre Vasquez concedat, posse aliquando voluntatem moueri à sola apprehensione: ipse tamen in ordine ad voluntates supernaturales exigit semper iudicium dicto dub. 6. versùs finem, & in ordine ad voluntatem credendi, licet ponat solum apprehensionem supernaturalem, exigit tamen necessariò iudicium aliquod credibilitatis naturale, vt legenti manifestè constabit.

Alij fatentur, posse oriri voluntatem inefficacem ex sola apprehensione simplici, quod etiam dicunt de efficaci, & absoluta indeliberata propter exemplum brutorum, & hominis dormientis, qui ex sola apprehensione exercere solent motus locales, imo & homo vigilans per motum primo primum aliquando percutit inimicum. Ita Hurtado vbi supra §. 15. in hoc tamen non satis consequenter videntur loqui: nam in primis bruta habent appetitus non solum inefficaces, sed absolutos, & efficaces. Deinde deliberatio, vel indeliberatio parum refert: quia deliberatio supra indeliberationem præcedentem solum addit notitiam mali, quod est in obiecto, & antea latebat, proposito solum bono. Si ergo antea curi sola apprehensione boni poterat voluntas illud amare; poterit etiam postea apparente etiam malo per aliam simplicem apprehensionem; manet enim adhuc tota notitia boni, quæ erat antea, & quæ per te sufficiebat, vt moueretur voluntas ad amandum illud.

Ego quidem in primis puto, vt dixi in Philosophia, non repugnare quod voluntas aliquando ex sola apprehensione moueatur ad actum etiam efficacem, & deliberatum. Quod aliqui probant. Primò, quia potest dari voluntas supernaturalis circa obiectum reipsa inhonestum, quod falsò putatur honestum, & laudabile: tunc autem non potest præcedere iudicium supernaturale de honestate obiecti, quia esset falsum: ergo præcedit sola apprehensio supernaturalis de honestate, quæ cum non sit iudicium, non est falsa, & ideo potest esse supernaturalis; ita arguit Ripalda n. 8. Hoc tamen argumentum facile soluetur ab aduersariis negando, fieri eam voluntatem supernaturalem sine iudicio supernaturali de honestate, quod quidè erit verum;

Z 3 nam

36

37

38

Nō repugnat quod voluntas aliquando ex sola apprehensione moueatur ad actum etiam efficacem, & deliberatum.

nam in iis circumstantiis honestum est illud obiectum: in quibus circumstantiis consideratur etiam totus modus, quo obiectum illud proponitur: quia in eiusmodi actibus, ut vidimus *supra* *disp. 5. sect. 2.* agentes de evidentia credibilitatis, iudicium practicum vltimum est communiter reflexum supra totum statum antecedentem, quem obiectum habet in intellectu, & de toto illo statu decernit.

39 Probat secundò idem Auctor, quia potest fieri voluntas bona supernaturalis ex sola illustratione gratiæ præuenientis: hæc autem aliquando est sola simplex apprehensio, sicut in voluntate est sola simplex affectio: ergo ex sola simplici apprehensione potest procedere voluntas supernaturalis. Ad hoc etiam facile negabunt aduersarij, illustrari sufficienter intellectum per solam simplicem apprehensionem: ita enim debent dicere, quicunque negant posse amari obiectum ex sola apprehensione boni sine iudicio.

Sola illa apprehensio simplex mouere potest ad amorem vel odium, quæ potest generare assensum, vel dissentium in intellectu.

Meliùs ergo probatur exemplo adducto appetitus sensitui, cuius actum non præcedit melior notitia boni, quàm sit apprehensio intellectualis. Pro cuius tamen explicatione notabam, non quamlibet apprehensionem simplicem mouere posse ad amorem, vel odium, sed solam illam, quæ est talis, ut possit generare assensum, vel dissentium in intellectu: neque enim omnes apprehensiones simplices possunt generare iudicium, ut constat de apprehensione syderum parium, quæ non sufficit, ut iudicemus, sydera esse paria, & de alijs similibus. Ad iudicium itaque præcedunt non solum apprehensiones simplices incomplexæ de extremis, hoc est, de subiecto, & de prædicato, sed etiam apprehensio complexa de tota propositione obiectiua: nihil enim affirmamus per assensum, aut negamus per dissentium, quod non fuerit apprehensum; quare cum affirmamus, vel negamus identitatem prædicati cum subiecto, illam etiam eandem identitatem apprehendimus, ut iudicium de illa feramus, nec differunt prima & secunda operatio ex parte obiecti, sed solum penes diuersum modum tendendi, quatenus per apprehensiones, quasi audimus obiecta, per iudicium verò sententiam proferimus, subscribimus, vel dissentimus obiecto per apprehensionem propositam, quæ omnia explicui in Philosophia.

40 Addo, neque etiam omnem apprehensionem complexam, quæ concipitur etiam identitas inter extrema, sufficere ad generandum assensum, vel dissentium: possum enim ego audire hanc totam propositionem *sydera sunt paria*, & apprehendere, ac concipere totum eius obiectum, & per consequens identitatem inter prædicatum, & subiectum, & non ideo possum assentire: sicut etiam addimus & apprehendimus errores, & hæreses absque vilo fundamento assertas, quibus tamen nec assentimur, nec frequenter assentiri possumus: est ergo aliud peculiare genus apprehensionum, quæ taliter proponunt obiectum, ut ex modo proponendi aptæ sint ad generandum assensum, vel dissentium. Potest autem dubitari, an huiusmodi apprehensiones differant ab illis alijs, quæ non sunt aptæ ad generandum assensum, solum penes diuersum modum manifestandi obiectum, an verò etiam ex parte obiecti. Ad quod dicendum est, differre potius ex parte obiecti: nam licet apprehensiones has dixerimus differre ab assensu solum penes diuersum modum

tendendi ad obiectum, & non penes diuersum obiectum, nihil enim manifestatur, aut representatur per assensum, quod non obicitur etiam apprehensioni complexæ præcedenti; comparando tamen utrumque apprehensionum genus inter se, apparet discrimen inter illas etiam ex parte obiecti. Apprehensio enim simplex concipiens, quod sydera sint paria, licet representet extrema, & identitatem inter illa; non tamen representat extrema manifestantia talem identitatem, quia nullum prædicatum concipitur in extremis, ratione cuius intellectus possit assentiri tali identitati. At verò apprehensio simplex proponens totum maius sua parte representat extremam cum talibus prædicatis, quæ simul ostendunt fundamentum identitatis: plus ergo representat ex parte obiecti hæc secunda apprehensio, quàm illa prima, & ideo hæc, & non illa sufficit ad generandum assensum. De hac ergo apprehensione sola, & non de quacunque in genere, intelligendi sunt, qui dicunt ex sola apprehensione boni posse voluntatem moueri ad amorem, vel odium obiecti propositi: quia nimirum hæc apprehensio, licet non sit iudicium formaliter: est tamen iudicium virtualiter, quatenus taliter proponit obiectum, ut ex vi illius possit generari assensus, & iudicium formale. Et quidem quauis cognitiones brutorum, & nostri etiam sensus interni non possint generare assensum, quia potentia materiales non sunt capaces iudicii formalis; tales tamen sunt, & tale obiectum, & taliter representant, ut si potentia capaces essent iudicandi, possent ex vi illius notitiæ assentiri obiecto proposito per iudicium formale, quod sufficit, ut possint moueri ad prosecutionem, vel fugam obiecti.

Obiiciunt aliqui, quia non potest voluntas velle affectu absoluto, & deliberato obiectum, quod intellectus iudicat esse impossibile: potest autem præcedere apprehensio de possibilitate obiecti, & apprehensio etiam de impossibilitate illius, utraque sufficiens ad iudicium probabiliter tunc ergo si intellectus assensum præbeat impossibilitatis, voluntas non poterit affectu absoluto velle illud obiectum, & tamen adest apprehensio possibilitatis sufficiens ad generandum iudicium: ergo apprehensio sola non sufficit ad voluntatem absolutam, & deliberatam, apprehensio enim non excludit iudicium contrarium, seu dissentium. Respondendo, omittis alius solutionibus distinguendo maiorem: non potest voluntas ita velle, si non adsit tunc apprehensio possibilitatis obiecti sufficiens ex se ad generandum assensum, concedo; si adsit talis apprehensio, nego. Quamuis enim intellectus iudicet probabiliter, esse obiectum impossibile; proponit tamen simul per apprehensionem probabilem esse possibile, quam apprehensionem sequi potest voluntas contra iudicium proprium, & sententiam probabile ipsius intellectus. Exemplum habemus in re morali: contingit enim læpe doctorem Theologum privata sententia iudicare contractum aliquem usurarium; quia tamen scit probabilem esse aliorum sententiam id negantium, contractum illum exercet. Tunc autem simul habet iudicium, & assensum, quod contractus sit usurarius, nec ab ea sententia discedit, ut contractum exerceat: sed tamen licet agit, quia non sequitur propriam sententiam, sed sententiam aliorum, quos videt probabiliter contrarium dicere. Sic ergo se habet voluntas in casu nostro: nam licet

licet intellectus ex propria, & priuata sententia iudicet, obiectum esse impossibile, proponit tamen apprehensionem, probabilem de possibilitate, hoc est, sufficientem ad generandum assensum probabilem; quæ apprehensio est quasi sententia aliorum de possibilitate, quam sententiam intellectus non amplectitur, sed tamen per apprehensionem quasi audit, & proponit voluntati: potest ergo voluntas non sequi priuatam sententiam intellectus de impossibilitate, sed illam aliam, quæ per apprehensionem probabilem proposita est, & iuxta eam velle obiectum affectu absoluto: minus enim requiritur, ut voluntas physicè hoc possit, quam ut prudenter & licitè possit, prout in primo casu potest.

Dices, exemplum non esse ad rem; quia eo casu voluntas non sequitur solam apprehensionem, sed iudicium vltimum proprium de contractu licito; nam licet ex propria sententia doctor ille iudicet contractum illum secundum se, & ex instinctu esse vltimum; habet tamen simul iudicium aliud, quo iudicat hic & nunc esse licitum, quia licitum est sequi sententiam probabilem aliorum. At in casu nostro voluntas nullum iudicium proprium sequeretur circa possibilitatem, sed tantam apprehensionem contra iudicium proprium. Respondeo, exemplum esse maxime ad rem si attentè consideretur; & retorqueo argumentum; nam si intercedit iudicium illud vltimum dictans, licitum esse sequi sententiam aliorum probabilem; ergo ante illud iudicium verum erat, quod licebat contra propriam sententiam sequi aliorum sententiam probabilem: ideo enim iudicium illud vltimum est verum, quia obiectum, quod affirmat, verum est. Non dicit autem illud iudicium vltimum, id licitum esse, quia per idem iudicium redditur licitum; non enim habet se pro obiecto suo, sed præciudicando à se ipso, affirmat ex se licitum esse sequi practicè sententiam aliorum sufficienter propositam etiam contra proprium iudicium, & sententiam; ergo etiam ante illud iudicium vltimum licitum hoc erat: ergo etiam si iudicium illud vltimum, & reflexum non fuisset, operaretur licitè voluntas sequendo sententiam probabilem aliorum contra sententiam priuatam propriam. Si ergo licitè id posset facere, poterit à fortiori saltem physicè voluntas sequi apprehensionem probabilem de possibilitate obiecti contra iudicium priuatum probabile de impossibilitate, cum apprehensio illa sit quasi sententia alia proposita de possibilitate talis obiecti.

His itaque de quæstione in genere suppositis, ut veniamus ad casum nostrum addo, licet in ordine ad voluntates naturales id non repugnet, in ordine tamen ad voluntates supernaturales non debere admitti de facto, quod procedant à sola simplici apprehensione; in quo dissentio à Ripalda loco citato. Et in primis loquendo de actibus voluntatis, qui diriguntur à fide immediatè, certum videtur, quod prærequiratur iudicium; requiritur enim actus fidei, qui quidem non potest esse sola simplex apprehensio, in qua non continetur certitudo, & firmitas fidei eo modo, quo euidetia iudicij euidetis continetur virtualiter in apprehensione, quæ illud præcedit. Cum enim viderimus supra, assensum fidei elici firmissimum firmitate adhesionis ex imperio voluntatis talem assensum ita firmum imperantis, consequens est, ut apprehensio præcedens non possit participare talem firmitatem, cum per apprehensiones intel-

lectus non adhaereat obiecto, nec voluntas imperet, aut imperare possit adhesionem, aut firmitatem in apprehensione, sed solum in assensu, in quo intellectus taliter, vel taliter sententiam de suo profert.

Deinde loquendo de voluntate pia credendi, non videtur de facto posse procedere ex sola apprehensione credibilitatis: quia voluntas hac debet procedere ex iudicio euidenti credibilitatis; & quamuis hoc ipsum iudicium præcedat apprehensio cum euidetia virtuali de eadem credibilitate, quæ apprehensio etiam sine iudicio posset mouere voluntatem iuxta supra dicta: de facto tamen non videtur possibile, quod stante illa apprehensione non sequatur iudicium euidens: nam apprehensio apta ad generandum iudicium euidens est causa necessaria, quæ statim operatur, & generabit eiusmodi iudicium. Quod autem voluntas cohibeat intellectum ab assensu, & iudicio credibilitatis, stante tali apprehensione in primis non est casus de facto contingens, nec fortasse contingere potest: quare de facto semper voluntas illa procedit non ex sola apprehensione simplici, sed ex iudicio formali.

Denique quidquid sit de hoc, in vniuersum ita dicendum videtur in nostra sententia, de facto nullam voluntatem supernaturalem procedere ex sola apprehensione sine iudicio supernaturali: quia cum voluntas supernaturalis præsupponat de facto cognitionem etiam supernaturalem, & sibi proportionatam, & aliunde dixerimus supra disp. 9. sect. 5. non requiri, nec dari de facto apprehensiones supernaturales in substantia ad actus supernaturales, consequenter dicendum est, de facto requiri iudicium supernaturale ad omnem voluntatem supernaturalem. Facile tamen concedam cum Ripalda, si de facto posset dari apprehensio supernaturalis sufficiens ad iudicium supernaturale generandum sine ipso iudicio, non esse specialem repugnantiam ex conceptu voluntatis supernaturalis, quod ex apprehensione illa posset procedere voluntas supernaturalis, sicut ex apprehensione naturali posset procedere voluntas naturalis. Argumenta autem contraria videri possunt apud eundem, qui bene ea dissoluit.

Dicit aliquis, ex hac doctrina fieri, quod nec etiam voluntas naturalis possit de facto procedere ex apprehensione sola sine iudicio; quia illa etiam apprehensio, si est sufficiens ad generandum iudicium, generabit illud, cum sit causa necessaria; si verò non est sufficiens ad generandum iudicium, nec etiam erit sufficiens ad mouendam voluntatem iuxta doctrinam traditam. Respondeo, in primis difficile & rarum satis esse, quod de facto posita tali apprehensione sistat intellectus in ipsa, & non generetur iudicium de eodem obiecto: non tamen videri omnino impossibile, nam in primis potest fortasse ex imperio voluntatis cohiberi intellectus ab assensu præstando, & à ferendo iudicio: quo casu manere poterit apprehensio sola sufficiens ad mouendam voluntatem. Deinde casus facilius contingere potest, quando apprehensiones sunt pro vtraque parte, solum cum probabilitate radicali, itavt sufficiant ad iudicandum probabiliter, quod Petrus, v. g. sit tibi inimicus, & quod sit tibi amicus: quo casu intellectus de se solo sine imperio voluntatis, à quo determinetur, neutri parti adhaerebit, cum apprehensiones ad neutrum iudicium determinent, sed singulae sufficiant de se ad iudicium probabile

pro illa parte ferendum. Tunc ergo, quandiu voluntas non determinat intellectum ad assensum vnius partis, manebit utraque apprehensio sine iudicio, & cum utraque apprehensio proponat obiectum, altera ad odium, altera ad amorem Petri, poterit voluntas alteram eorum sequi, & elicere actum absolutum amoris, vel odij, sicut posset ex iudicio probabili. Hic tamen casus raro, ut dixi, contingit, quia voluntas regulariter solet applicare intellectum, & cogere, ut sententiam proferat iudicando de maiori saltem probabilitate vnius partis, vel de aequalitate probabilitatis, vel aliquo alio modo.



DISPUTATIO XII.

De necessitate fidei ad salutem,
& prius de necessitate
medij.

- SECTIO I. *Utrum fides sit necessaria ad salutem necessitate medij.*
 II. *Sine fide fundata in reuelatione Dei non fieri vllum opus meritorium salutis eterne.*
 III. *Argumenta contra fidei necessitatem proponuntur, & dissoluntur.*
 IV. *Utrum semper fuerit, vel nunc sit necessaria necessitate medij fides explicita Trinitatis & Christi.*
 V. *An fides explicita Dei remuneratoris sit necessaria necessitate medij.*

DE hoc agit Sanctus Thomas *questione 2. articulo 3. 4. 5. 6. 7. & 8.* ubi aduerte titulum articuli tertij non esse positum iuxta mentem S. Thomæ. Sic enim habetur: *Utrum credere aliquid supra rationem naturalem sit necessarium ad salutem.* Et tamen postea in fine responsionis in corpore solum concludit: *ad hoc quod homo perueniat ad perfectam visionem beatitudinis, præexigitur quod credat Deo; non autem dicit supra rationem naturalem; & in principio articuli, unde titulus articuli desumi solet, solum dicitur: videtur quod credere non sit necessarium ad salutem; quare hic deberet esse titulus. Utrum credere sit necessarium ad salutem: non enim agitur in hoc articulo de qualitate obiecti credendi, sed de necessitate aliquid credendi. Est autem hæc necessitas duplex; altera medij; altera præcepti: de prima agemus in hac disputatione, de secunda disputatione sequenti comprehendentes doctrinam horum articulorum.*

SECTIO I.

*Utrum fides sit necessaria ad salutem
necessitate medij.*

IN necessitate medij dicitur necessarium illud, sine quo etiam inculpabiliter omisso non potest haberi salus. De differentia autem inter

necessitatem medij, & præcepti dixi *disput. 3. de Eucharistia sect. 1.* que videri possunt; neque hic sunt iterum repetenda. Nunc ergo agimus de necessitate medij: & in hoc sensu est gravis difficultas, an fides sit ita necessaria, ut nullus inquam sine fide saluari possit, cum sola naturali cognitione Dei, & boni honesti. In qua fuit opinio, vel error Pelagij docentis, non solum hominem sine auxilio gratiæ posse credere, sed etiam in lege naturæ potuisse hominem saluari sine noticia alicuius veritatis reuelatæ, sed cum noticia ex viribus naturæ, ut refert Augustinus *heresi 88. & 1. de gratia Christi cap. 4. 1. & lib. 2. cap. 26.* omittit etiam Manichæos, qui contendebant, nihil esse credendum, quod non possit euidenti ratione demonstrari, contra quos latè Augustinus *lib. de utilitate credendi.*

Inter Catholicos non desunt, qui dicant, hominem posse in aliquo casu iustificari sine actu fidei. Ita docuit Vega *lib. 6. in Tridentinum, capite 17. 20. & 21.* Vbi dicit, se multis annis de hac cogitasse, & cum viris doctissimis consultasse. Idem tenuit Sotus *2. de natura & gratia, cap. 11. in 1. edit.* postea tamen re melius inspecta, eam sententiam prudenter retractavit in *2. edit. & in 4. distinct. 1. quest. 2. art. 3. & in fine 4. retract. 4.* Dissert tamen Vega à sententia Soti, quod Sotus postuler auxilium gratiæ saltem ad actum voluntatis, quo se homo ad iustitiam disponit: Vega vero nollam supernaturalitatem videretur desiderare, nec quoad substantiam, nec etiam quoad modum parte intellectus, & voluntatis. Alij tamen prædictam sententiam temperant postulantes eam ex parte intellectus aliquid auxilium gratiæ, licet non ad credendum; ad cognoscendum tamen obiectum honestum, vel bonitatem Dei per nobiliorem notitiam, quam ex viribus naturæ habent. Fundamenta verò huius sententiæ postea adducemus. Alij è contra ita necessariam esse dicunt fidem ad salutem, ut nec de potentia Dei absoluta potuerit fieri voluntas supernaturalis sine cognitione supernaturali rerum fidei: quos refertur Turrianus *disput. 25. dub. 3. & Coninch. disput. 14. dub. 8. num. 94.*

Communis, & vera sententia docet, neminem adultum de facto posse iustificari sine aliquo actu fidei. Dixi iustificari: quia si ponatur aliquis puer habens iam habitum gratiæ in baptismo susceptum, & qui postquam ad usum rationis venit, statim moritur absque eo quod habuerit occasionem credendi, vel negandi, imo nec cogitandi de rebus fidei; non video, cur ille non saluetur sine actu fidei, nam licet moriatur adultus, non tamen fuit adultus, quasi formaliter in illa materia, cum circa eam nunquam ut adultus habuerit occasionem operandi, quod idem notauit Suarez in *presenti disput. 12. sect. 2. num. 10.* quam quia non vidit Granado, dixit *tract. 10. disput. 1. num. 9.* neminem igitur solum procedi ad actum fidei. Quæstio igitur solum procedit de adulto peccatore, qui debet iustificari, ut saluetur; & de hoc dicimus cum communi debere habere actum fidei ante ipsam iustificationem. Auctores pro hac sententia vide apud Valentium in *presenti quest. 2. puncto 2.* quam etiam sequitur Suarez *tom. 3. in 3. part. disput. 28. sect. 2. & in presenti disput. 12. sect. 2.* & alij omnes communiter.

Probatum primò ex Scriptura passim docente, sine fide neminem accipere salutem. Paulus ad *Rom.*